

# Concentus metricus in solennem promotionis magistralis actum, dum ... decan...

Ketarmannus, Johannes Matthiae

*1 Ic 1650 Gråå, Johannes*



National Library  
of Sweden

CONCENTUS METRICUS

4

Solennem Promotionis Magistralis actum,

*Dum,*

Jehovâ duce atq; auspice

Magnificentissimo Pro-Cancellario;

*Reverendissimo Eminentissimoq; VIRO,*

**DN. M. ISAACO ROTHOVIO,**

Inclytæ Dioceseos Aboënsis Episcopo celeberrimo  
utriusq; Consistorij Præside gravissimo.

Rectore Magnifico,

*Admodum Reverendo Excellentissimoq; Viro,*

**DN. ÆSCHILLO PETRÆO,**

S.S. Th. Doct. pereximio, ejusdemq; Professore primario, utri-  
usq; Ecclesiæ Aboënsis, ut & Numensis Pastore vigilantiss.

Speçtabilis Decanus,

*Plurimum Reverendus & Praclarissimus,*

**DN. M. NICOLAUS L. NYCOPENSIS,**

Log. & Poës: Prof: Ordinarius celeberrimus

*VIRO-JUVENI*

Ingenio & Eruditione Præstantissimo, Virtutibus  
atq; moribus Politissimo.

**DN. JOHANNI MAR. Grâa/**

SATAC, FINL. Philosophiæ Candidato meritissimo,

*Lauream Magistraleam 6. Non. Maji Anni M. DC. L.*

*Solemniter conferret.*

Ab Amicis & Patriotis fausti ominus ergò editus.

A B O Æ Imprimebat Petrus Wald/ Acad: Typog: 1650.

*Venerabili D. Georgio Nio  
v. d. M. in Biora*



Nomine clarus quis dubitat? nunc omine dives  
Nonne satis magno? Jam probat ista dies?  
Hanc jam quam vigili tentabas tangere metam.  
Sedulitate capis, dona parata simul.  
Fortunet Zebaoth: capiat Respublica fructum.  
Inde DEUS Laudem, patria pulchra decus.  
ANDREAS Æ. PETRÆUS.

## JOHANNES MARTINI GRO

Per Αναγρ. μ. μ.

NON TANGIS RE MIRA? IO!

**E**uge! dies iterum nobis gratissima luxit,  
Quâ meritis rursus clara corona datur:  
Hâc etiam prodis tandem, Meritissime JANNES,  
Strenuus ut miles, præmia mille feras.  
Tu prisca, et nova, et Sophos pernoctasse laboras:  
Hoc quid? es eximiâ præditus arte Sophus.  
NON binc idcirco TANGIS RE MIRA Johan-  
Rimando rerum perbenè mente strophas. (nes?  
Non rarò clarum magnâ cum dexteritate  
Edebas specimen, Musica castra sequens,  
Testamur verum meritò, quòd vidimus omnes:  
Dicunt, judicio qui potiore valent.  
Ingenij magnas nôsti tu promere dotes:  
Sicut verna suas Flora ministrat opes.  
Latitæ numeros sic sufficis omnibus omnes:  
Ut quæ flore virent, gramina latificant.

A 2

Dul.

Dulcis IO! patriæ flos, delitiumq; decusq;  
 A nobis salve. Clare Magister. ave.  
 Hæc dudum merito lauri de fronde corona  
 Sit felix, jubeo, fataq; fausta. Vale.

Honoris & amoris ergo hæc  
 pauca apposuit,  
 AXELIUS IONÆ ORRÆUS.

JOHANNES MARTINI GRO.

Per Ἀνάγραμμ.

MANET HONOR: IIN AGRIS.

GRæ tibi nomen,  
 GRæ simul omen,  
 Docte Johannes,  
 Non quia mento  
 Canus es apto:  
 Sed quia mente  
 Talis acuta.  
 Namq; putantur  
 Maxima scire  
 Sunt quibus alba  
 Barba senescens:  
 Sic sapias alta,  
 Vera probata,  
 Svavis amice,  
 Culta Sophia,  
 Illa parentis  
 Filia Magni,  
 Palladis artes,  
 Pulcra reperta,  
 Dux Scagirita,  
 Dogmata pura,  
 Sunt tibi nota,  
 Sunt tibi praxis,  
 Quæ facis ampla,  
 Ardua rerum,  
 Aurea dona,

Candide Lector,  
 Testis abundans  
 Est, ubi velles,  
 Turba Sophorum,  
 Optima famâ,  
 Ordine clara:  
 Afferit illa,  
 Huncce Johannem  
 Rite tenere  
 Optima quæq;:  
 Unde Sophia,  
 Illa venusta,  
 Virgo pudica,  
 Sponsa beata,  
 Hactenus acer  
 Quam celebrabat,  
 Atq; colebat  
 Nubere JANNI,  
 Gessit alacris,  
 Dulcis amica,  
 Quæ valet auri  
 Pondere magno,  
 Huius & ardor,  
 Vivida virtus:  
 Ergo beatus,

Ille maritus,  
 Nonne futurus?  
 Sacra marito  
 Hæc peraguntur:  
 Fœdera sunt,  
 Sancta per ævum,  
 Hinc MANET illum  
 EN HONOR ingen:  
 Sponse vocaris  
 Clare Magister:  
 Festa corona,  
 Tempora cingens  
 Denotat illud,  
 I spatiantis  
 Instar IN AGRIS:  
 Dicere tendo:  
 Pergito porro,  
 Auguror ipsum:  
 Ferre iubebis  
 Plurima ferta.  
 Te DEus almus  
 Fulgidenoster  
 Floscule faustum  
 Vivere multos  
 Annuat annos.

Honoris & synœci amoris ergo gratulabundus addebat  
 ERICUS AND. LVCANDER

FLosculus Phœbi juvenum JOHANNES,  
Portio nostri celebris Lycœi  
Non dedit ventis levibus carinam,

Castraq; liquit:  
Totusast Musas coluit decoras,  
Palladis Semper volitabat armis,  
Ambit, ô felix potitur cupita:

Toeda Minervæ.  
Aptat hæc docto capiti tiamam,  
Ornat & fulvo digitos colore,  
Clamitat dignum, titulo Magistri,

En decus ingens!  
Hinc tibi laudes referemus amplas  
Vive ter faustus precor, atq; parcat  
Corpori sano, vegetæq; menti,

Mors truculenta..

*Novis Magisterij honoribus*  
*L. M. g. Scripsit*

GABRIEL G. ARCTOPOLITANUS  
Finland.

Capisti in stadio virtutis, Clare JOHANNES  
Currere, nec captum placuit tibi rumpere cursum.  
Pro meritis igitur tibi confert laurea serâ

*Pulcher Apollo. Precor tibi sint hæc prospera ut ipsi,  
Grata Deo, Patriæ dent commoda multa. Valeto,*

*Amoris, moris & honoris Ergò occupa  
tissimus addidit*

JOSEPHUS JOSEPHI Wallenius<sup>r</sup>  
Satacund. Finl.




**S**edulius in studijs qui vult attingere metam,  
Optatam, multis uritur ille malis.  
Nunc etenim infelix illum fortuna coarctat,  
Bacchus ei spumans nunc struit insidias,  
Alma Venus, paritèr pulcher blandusq; Cupido.  
Illum de studijs trudere sæpè volunt.  
Fortitèr hæc mala, tu Musarum cultor avare  
JANNES, exsuperas invigilans studijs.  
Ergò tibi merito Charites sua munera portant,  
Atq; beat lauro tempora Apollo tua.  
Ter felix igitur modò splendida munera sume,  
Et patriæ præsta commoda mille tuæ.

*Popularis affectus declarandi ergò  
applausit*


JOHANNES THUR. VVaënerus  
Satacund. Finl.

*Ambi-*

  
**A**mbisti nitidam, *JANE*, puellulam,  
Ingens laurigerum ritè decus Sophum.  
Desponsata tibi est, tristia pectora  
Gaudens exhilara, Sponsa Sophia adest.  
Monstrat pileolus, sicq; corollula.  
Et signum fidei hic annulus aureus.  
Gaude, magnus adest pro meritis honos,  
Gaude, nempè capis ferta nitentia.  
Summis ergò tuis grator honoribus,  
Felicem *Œ* Pylios vivere te dies  
Opto, ut plurima des commoda Patriæ.

Et cum sicelidum choris  
Rauco sic cecinit sono

*colligit*  
*Andreas Thur.* ANDREAS THUR. Kyroënsis  
Finno.

  
**Q**ui forti subeunt animo certamina Martis,  
Quêis dabit & victas hostis uterq; manus,  
Præmia multa ferunt. Pugnasti in Apollinis oris  
JOHANNES. Martem spernere sed lubuit.  
Pugnasti in castris Musarum fortitèr, unde  
Victor ovans meritò digna brabea capis,  
*Laus.*

*Laurea ferta capis clari titulumq; Magistri,  
Quod dudum excellens ingenium meruit.  
Ergò Deo, patriæq; tibi quoq; Clare Magister,  
Vive diu, felix vive, valeq; diu.*

*Tenui Thaliâ gratulabundus  
adjecit*

**HENRICUS THO. VVithilæus**  
*Sat. Finl.*



**A***Rtes ut teneris coluisti jugiter annis  
Inq; choro juvenum fulsisti ritè bonorum:  
Sic quoq; jam splendes ceu sydus docte Johanes,  
Sedulus & magni sudas in Apollinis agris.  
Nunc igitur præbet tibi præmia magnus Apollo:  
Laurea ferta comam, digitum annulus aureus ornant.  
Ergò bonis avibus magnos sortitor honores,  
Vive, vale, Patria fac prosis, Clare Magister.*

*Tenui venâ honoris ergò  
subjunxit*

**JOHANNES H. Lilius**  
*Finlandus.*

